

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.



1689,

1. Barthius, Valentinus: De libertate
2. Boeclerus, Jo. Henricus: Cicero.
3. Meck, Johannes: De conventionibus.
4. Deckherus, Fridericus: De possessione creditoris
in pigore I
5. Deckherus, Fridericus: De possessione creditoris
in pigore II.
6. Deckherus, Fridericus: De possessione creditoris
in pigore. Disp. III
7. Deckherus, Fridericus: De locatione et conductione
8. Griesmayr, Albertus Fridericus: De jure naturalae
9. Hanacker, Johannes Fridericus: De expectatione
10. Horlacher, Sigismundus: De subinfestatione
11. Honow, Matthias: De incendio
12. Lyserus, Lucas: Curator bonorum mulierum.
13. Menner, Fridericus: De pactis legitimis

1659,

14. Pahlmann, Henricus: Jus militum favorabile 6
15. Reber, Johannes: Vindiciae solemnitatum testa- 7
mentariarum Justinianearum.
16. Reber, Johannes: De cantione quasi usufructuaria 8
civiti sine decretali.
17. Sachs, Joh. Melchior: De consensu in genere 8
18. Hoerner, Gaphorus: De potestate politica circa sacra. 9
19. Wetken, Reinholdus: De jure asotryhosus sine 10
retractis. 2 Exempl

1660


1. Becht, Jacobus Theobaldus: De inimicis 11
2. Bueclerus, Jo. Henricus: Miles captivus 12
3. Bueclerus, Jo. Henricus: De eo, quod civitas egit. 13
4. Intenkarup, Albertus: De mero imperio
5. Hagemeister, Franchiscus: De causis mitigandis pac-
narum.

1660

6. Nader, Jacobus Christophorus: De employtensi
7. Reuber, Johannes: De acquisitione per universitatem
decurativa, et devolutiva ex iudicio testatoris ex-
presso et legali tacito.
8. Rodkenbauch, Johannes Conradus: De famosis libellis
sive ut vulgo vocantur, pasquillis
9. Sachs, Johannes Melchior: De venatione Romano. Ger-
manica.
10. Sachs, Johannes Melchior: De alimentis
11. Thebesius, Georgius: De scopulis.
12. Ursinus, Johannes: De contractu arthali.
13. Witten, Valentinus: De jure retentionis.


[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]











ANALYSEOS

L. Res pignoris. 37. D. de acquirend.

*Vel amittend. possess.**qua agit**De*

POSSESSIONE

CREDITORIS

IN PIGNORE

DISPUTATIO PRIMA.

A VSPICE DEO OPT. MAX.

IN CELEBERRIMA ARGEN-

TORATENSIVM VNIVERSITATE

solennis exercitii gratia proposita

FRIDERICO DECKHERRO J.U.D.

Pandect. Professore Ordinario, & h. t.

Facultatis Juridicæ Decano.

RESPONDENTE

VALENTINO Barthio. Colmariensi.

Die mens. Februarii, hora & loco consuetis.

ARGENTORATI.

Typis FRIDERICI SPOOR.

ANNO M.DC.LIX.

M. p. xx.

16 59 4.

/

515

Alph. 2. 119

Sacri Romani Imperij

Liberae Ciuitatis Colmariensis

INCLYTO

MAGISTRATVI
SENATVIQVE

Cui

Disputationem hanc Solennem

humilimé dedico

Salutem à Salutis Fonte precor plurimam.

REGIUM
1780
M.D.C.LXX





Virtutiné, an potius temeritati adscribendum sit, quod tenuitas mea in publicum prodire, & in Solenni Eru-
 ditissimorum Virorum confesso, de spinosissimâ Possessio-
 num materiâ, verba facere audeat, ipse dubito. Verume-
 nimverò cum Vir Nobilissimus, Amplissimus, Excellentissimusq;
 DN. F. DECKHERVS, Ictus undiquaq; laudatissimus,
 Hospes, Præceptor, atq; Patronus meus nunquam sine reveren-
 tiâ nominandus, quem nuper à Foro suo advocatum, Professore Pandectarum Publicum, longè Celeberrimum sibi constituit, inclyta Ar-
 gentoratensium Respublica, posteaquam ex tristissimo illo, quo præteritâ
 æstate laboravit, diuturno morbo, Divina clementer adiuvente gratiâ,
 reconvalluit, commentationem ad L. Res pignoris. 37. ff. de acq. vel a-
 mit. post. scribere occepisset, meq; nescio quâ ingenii mei fiducia, dignû
 ipse iudicasset, cui dicti tractatus & Professionis suæ Disputationem pri-
 mam solenniter defendendam concederet, id ipsum recusare nec potui,
 nec debui. Suscepi igitur hunc mihi præter spem oblatum honorem ma-
 ximum, & suscepi lubentissimè: quamvis enim ingenii mei tenuitas me
 non lateat, nec amen tempus, quod in studio iuris iam consumpsi, otio tri-
 visse videar, ingenii vires publicè experire volui, ne sterilem agrum colu-
 isse videatur Viri Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimiq; nunquã
 satis laudandi, ubiq; Celebratissimi DN. IOH. HENRICI MOGGII
 Cõsulis, p. t. primarii, Senioris & Scholarchæ Spectatissimi, publici
 privatiq; Iuris Consulti Consummatissimi: Legationibus & pere-
 grinationibus summa laude defunctis Clarissimi, ob innumera in
 Remp. Colmariensem collata beneficia Patris patriæ meritissimi
 bonarum scientiarum ut peritissimi, ita Fautoris maximi, Patroni
 mei ætatem devenerandi, singulari curâ atq; solertiâ, plusquam lau-
 dabiliter constitutum Gymnasium Colmariense, quo cum tenuitati meæ
 per octenniû propè exactum uti, fruiq; licuerit, gratos imitaturus colo-
 nos, qui in testimonium suæ sedulitatis ac reverentiæ, Dominis fundorû
 quos colunt, laborum suorum fructus offerre solent, VVris, AAibus spe-
 cimina quoq; fructuum, quos semen in modò laudato Gymnasio Vestro
 mihi infeminatum protulit, offerendos censui. Vobis igitur VV. AA.
 exerciti-

北

exercitium hoc Academicum, in testimonium studiorum meorum, & in
arrhã debitã meã nunquã nõ duraturã Observãtiã humilime dedico, me-
amq; tenuitatem omni meliori modo commendo. Suscipite id ipsum sere-
nã fronte, & si peiora fortẽ de me metuistis, metum mittite, si bona spe-
rastis, meliora sperate, mihiq; favere pergite: interim Valetẽ, gubernate
diu, gubernate felices: adsit Deus consiliis Vestris, eaq; dirigat ad sui no-
minis gloriam, Ecclesiã orthodoxã incrementum, patriã incolumitatem
singulorum utilitatem. Servet Vos patriã, servet Vos Vobis & benedi-
cat Divina Clementia, cui V. Vras. A. Anes. devota mente commendat.

V. V. A. A.

Dabam Argentina:
mens. Febr. 1659.

Humilimus Cliens;

VALENTINVS Barthius.





Dulce meum Patriæque decus, dexterrime Barthi,
 Cui curæ & Cordi est, virgo decora Themis :
 Hactenus antiqui penetrare abscondita Juris
 Juvit & ingenii vim coluisse tui :
 Iam partas exponis opes & divite lucro
 Reddis, quæ Dominus credidit ipse tibi.
 Perge age, fortunatus eris, me iudice, qui jam
 Justitiamque doces, Justitiamque facis:
 Cœlitus adspiret DEVS, & sua dona coronet,
 In te quæ pulchrè ceu nova stella nitent,
 quos prælagit de te Colmaria, fructus.
 Sentiât, atque tuis præstet ubique salus.

*In gratiam Domini Respondentis
 adscripsit
 PRÆSES.*

Ad per. Eximium Dominum Respondentem.

Comuni verbo: qui possidet, ille beatus:
*Difficile est, juris discrimine sede movere:
 Hic titulus quos firmat. Eo dicere beatus
 BARTHII, qui doctè, quid sit possessio, monstras.
 Vive bono patriæ, nec Te possessio fallat,
 in quam Te immittent Virtus, studijq; labores:*

*Scrib. gratulab.
 Johannes Rebhan. D. Prof. P.*

Ad Præstantissimum Dominum *Valentinum Barthium*, Jurium
 studiosum, disputantem super *l. Res pignoris. 37. d. acq. vel am. poss.*

Valentinus Bart (h) ius.
*per anagramma
 Tu Valens in artibus.
 EPEX.*

(3)

Barthi,



Barthi, qui præstaste insigniter arte valentem
Spectandæ Themidis, vota secunda meres.
Talia mitto tibi, maneat te gratia Jovæ
Ut felix pergas, optima spes Patriæ.
Et tibi dilecto faveat Colmaria faustè
Ceu mea mens illi prospera quæque vovet.

*amicitia & congratulationis ergo
deproperabat*

GEORGIUS KUBI perillustr. Comit.
in Leiningen Hartenburg &c. Consili-
arius & Præfectus.

Sonnet.

Mein Edler Themis Sohn/ich habe bald geschlossen
Vnd bey mir außgedacht: nach dē ich mich am Reihn
Wo selbst Astræa wohne nunmehr gefunden ein
Auch seiner Freundschaft gunst nach allem Wunsch genossen
Vnd oft gehört wie net auß seinem mund geschlossen
Die Edle wißenschafft / gesehn sein fleißig sein
Vnd wie bey ihm die Kunst mit Tugend stimmet ein;
Er wird/ mein Werther Bart/ auß Phoebus stamm entsproßet
Wald bald auch öffentlich / den andern zum Exempel
Wie er mit stätem fleiß / Wohl manche schöne nacht
Vnd manchen schönen tag mit büchern zugebracht
Mit ruhm darthun/ wie icht im Muses Tempel.
Hier hat er meine hand zum Pfand/ die güldne Cron
Wird ihm Astræa schon/ mein Edler Themis Sohn.

Christoph Abraham
Von Noehberg. Eq.
.Lul. Sup.

Quod

Quod natura Tibi pignus concedidit ipsa
 Ingenio promptus promere saepe soles,
 Sermones quando dulces facis inter amicos,
 Inter quosq; gravi differuisse placet
 Nunc de re Tibi, quid possessio pignoris. ausa
 Grator, & addo Tibi pignus amicitiae.

Iohannes Ernestus à Doebischütz
 Eq. Lus.

Quid praestet Natura favens, Doctrina laborque
 tenace nexa vinculo,
 Id Tua sat nobis, Iuvenum Lectissime Barthi,
 ausa invidenda dictitant.
 Scilicet insolitæ Temet vis indolis armat
 oprataque Institutio;
 Te videt in studiis totas Proserpina noctes
 totosq; Cynthius dies.
 Hinc rapido nisu venturos praevenis annos
 vulgumq; humumq; transiens.
 Sensit idem nostræ Celebris Suadela Themistos
 Certaminis Praeses Tui
 Cumq; in solenni congressu solvere nodos
 Possessionis posceret,
 Quales vix Iuvenis Pellæus solverit unquam
 aut Claviger Tyrinthius
 Nil prorsum addubitans, certò Te credidit isti
 haud imparem negotio.
 Maeste Tuo fervore animi: Sic praepete pennâ
 Cum nubibus junges Caput;
 Sic longè poteris celer anticipare statutum
 Iuri Tuo Quinquennium.

Georgius Thebes
 Lignit. Sil.

Non

*Non mihi sint tanta quamvis in carmine vires
Subdere currenti calcar ut ipse queam.
Nam campo in plano curris nunc ipse Themista,
Assolet in pugna ceu generosus equus.
Ipse tamen faustum cursum solummodo, & opto
Hæc beæ Omnipotens ut tibi cæpta Deus.*

*Hæc debitæ Observantiæ contestandæ
ergo Præstantiss. Dn. Respondent.
apposuit.*

Fridericus Iacobus Daferus.

*Ad Pereximium, atq; Doctissimum
Dn. Respondentem.*

*Fatidicæ Themidis cathedram, dum scandis Amice,
In qua defendis non sine laude theses.
Quapropter volui tibi plurima fausta precari,
Ut dotes animi promerueres tui.
Proposito faveat Deus, & det vela secunda,
Ut patriæ tandem, commoda multa feras.*

*amicitiæ & honoris ergò
hæc paucula apponere
voluit.*

Nicolaus Sandherr.



Quod Deus bene vertat!



Um materiae, de qua in praesentiarum pauca proferre constituimus, amplitudo, longiorem praefationem prohibeat, sine circuiru ad legis propositae analysin & tractationem accedimus, cujus verba, in editione Dionysii Gothofredi, qui ut plurimum lectionem Florentinam sequitur, haec sunt.

37. MARCIANUS. || Libro singulari ad formulam hypothecariam. ||

Res pignoris nomine data, Et possessione tradita, deinde a creditore conducta, convenit, ut is, qui hypothecam dedisset, pro colono in agro, edibus autem pro inquilino sit, per eos creditor possidere videtur.

.2. Secundum lectionem Haloandrinam, verba legis ita se habent.

XXXVII. MARCELLUS.

Re pignoris nomine data, Et possessione tradita, deinde a creditore conducta: convenit, ut is, qui hypothecam dedit, pro colono in
A agro,



2

agro, in adibus pro inquilino sit, & per eos
creditor possidere videatur.

3. Ad hujus legis planiorem intellectum, tum *in genere*, de ejus inscriptione, authore, lectura & constructione: tum *in specie* de verborum in ea contentorum homonymia, quædam necessario præmittenda arbitramur. Ita Consumatissimus Ictus D. Joh. Ott. Tabor, Doctor meus, nunquam sine laudis encomio nominandus, *in Jurisprud. Element. part. 3. sect. 4. th. 2. in exord.*

4. Inscriptionem quod attinet in frontispicio occurrit numerus 37. quem numerum legis esse sub titulo aut rubrica de acquirenda vel amittenda possessione, constat, & ex numeratione antecedentium colligitur: fato autem contigisse videtur, ut tres hujus numeri leges, de possessione creditoris in pignore tractent, nimirum *l. 37. de pign. act. l. 37. de acquir. rer. dom. & hæc nostra l. 37. de acquir. possess.* dico autem esse numerum legis, ita enim usu obtinuit, ut singula juris capita hodie leges dicantur. C. I. A. *tit. de legib. th. 1. n. 9.* Ampliff. Ictus D. REBHAN. Facult. Jurid. Senior & Antecessor, Collega honorandus *in Hodoget. jur. chart. 2. Clm. 1. th. 25. in addit. n. 8. text. in l. tanta. 2. §. 10. Cod. de vet. jur. Enucleand.* cui opinioni contradicit Valla. *lib. 4. elegant. cap. 44.* reprehensus à Martino Trehetio. *de compos. & ordin. Pandect.* quamvis Marciano hujus nostræ sententiæ authori commodius fuisse putet Trehetius *dict. loc.* capita quam leges vocare, allegans *l. Divus 6. D. de exhibition. reor.*

5. Sequitur in subscriptione legis nostræ in edit. Florentina vocabulum MARCIANUS: quo ipso legis author ostenditur: Erant autem hujus nominis plures,
de-

de quibus consulantur hystorici: In jure nostro duorum fit mentio: nimirum *Flavii Valerii Marciani* Imperatoris, qui humili genere natus, militia tamen clarus, Princeps varia virtute præditus, in senectute ad Imperium vocatus, circa annum Christi CD L. Imperii fasces sumpsit, cum Valentiniano tertio per quinquennium, sesquiennium solus regnavit, Anno Imperii sexto, mense sexto, naturæ concessit, ejusdem plures constitutiones in Codice reperiuntur, cum inscriptione tum Valentiniani cum Marciano. *l. binosio. Cod. de advoc. divers. judicior. l. humilem 7. Cod. de incest. & inut. nupt. tum solius Marciani. l. quicumq. 8. l. humanum. 9. Cod. de heret. l. nemo Clericus. 4. Cod. de summ. Trinit. l. quicumq. 3. Cod. de apoch. publ. 10. 22.*

6. Et *Ælii Marciani* Jure Consulti, de quo Guido Pancirol. *in tractat. de clar. leg. interpret. cap. 45. lib. 1.* scribit eum sub Imperatore Antonino Pio, Beticæ Proconsulem fuisse, id quod divi Pii rescriptum ad eum missum, cuius in *l. si Dominus 2. D. de his qui sunt sui vel al. jur. §. ult. Instit. dict. tit. fit mentio*, indicat: Ipse se in auditorio publico judicasse scribit. *in l. 1. §. ult. in fin. D. ne de stat. defunct. post quinquen. querat.* Papiniani discipulum & Assessorem fuisse, putat *Wesembec. in parat. D. de Orig. jur. n. 4. circa med.* Quod autem *Lamprius* in *Alexandro Severo scripsit*, Marcianum in Alexandri consilio fuisse, id minus veritati conveniens videtur *Pancirol. loco supra citato*, cum à Divi Pii, usque ad Alexandri Severi Imperium, anni fermè LXXX. intercesserint. *confer. Philipp. Glaser. Syngramm. histor. Theoret. pag. m. 97. & 99.*

7. Quendam etiam hujus nominis authorem fuisse videri posset sectæ hæreticorum, qui duos sibi Deos,

A 2

bonum

bonum alterum, alterum malum, finxerunt, quos Marcianistas vocatos fuisse refert Gothofred. *ad l. 5. Cod. de heret. & Manich. allegans l. 65. hereticorum. 16. Cod. Theod.* 5. Sed & in jure Civili *ut in d. l. 5. & Canonico. can. quidam 39. §. Marcionista. caus. 24. quest. 3.* Marcionistas hos dictos, eorumque authorem non Marcianum quendam, sed Marcionem fuisse patet *ex d. can. quidam. & Tertulliano adversus Marcionem. Epiphan. 3. heres. 42.*

8. Scripsit autem Marcianus noster plures libros de diversis juris materiis, Institutionum libros sedecim: *l. 2. de LL. l. 4. & 6. D. de rer. divis. l. 19. Rit. nupt. ex quibus multa suis Institutionibus inferuisse Iustinianum putat Pācir. d. l. alleg. l. 5. D. de stat. hom.* De publicis judiciis libros duos, de quibus videre licet inscriptiones. *l. 214. de verb. signif. l. 9. de publ. jud. nec minus in l. 6. D. de custod. & exhib. reor. l. 13. de accus.* Scripsit idem Digestorum libros aliquot. *l. 5. D. quis ord. in bon. poss. serv. libros octo fideicommissorum. l. 45. de religio. & sumpt. fun.* De appellationibus libros duos *l. unic. D. de libell. dimiss.* libros regularum quinque, *l. 31. l. 33. D. de adopt. & unum de delatoribus. l. 1. D. Ne de stat. defunct. post quinq. querat.* librum ad S^Ctum Turpillianum. *l. 1. D. ad S^Ct. Turpill.* ut & librum singularem ad formulam hypothecariam, ex quo hæc lex nostra sumpta *l. 5. l. 11. l. 13. 16. de pign. & hypothec. l. 5. ex quib. caus. pign. tac. contrah. l. 1. que res pignori. & passim.* & si quis forsan alius liber occurrat: Quædam etiam in notis Emiliï Papiniani à Marciano adscripta esse, quæ specialissimè à Iustiniano Imperatore vim legis acceperunt, constat *ex l. Deo Authore. l. §. 6. Cod. de vet. jur. enucleand.* harum etiam notarum & quidem ad lib. 2. de adulteriis Papiniani mentio fit in *l. qui in. 57. §. 1. D. de rit. nupt. l. qui pupillam. 7. §. 1. D. ad l. Jul. de adult.*

6. At

9. At Haloandrina lectio authorem legis nostrae Ictum MARCELLUM nominat, (qui ab aliis Ulpius Marcellus dicitur.) quæ differentia ex eo videtur orta, quod authoris nomen non integrum, sed prioribus tantum literis M A R C. fuerit inscriptum: inde factum ut alter Marcellum, alter Marcianum intellexerit: Marcellus sane inter Ictos haud minimus fuit, id quod plurimarum Legum Digestorum inscriptio ostendit, ex Marcello- rum antiqua familia ortum putat Forster. *histor. jur. civil. Rom. lib. 2. cap. 72.* ex schola Jaboleni Icti prodiit, sub Severo Imperatore floruit, libros digestorum u- num & triginta. *l. 73. D. de solut.* vel ut plerique volunt, novem & triginta *l. 2. D. de captiv. & postlim. revers.* Responsorum singularem: *l. 34. D. de pign. act.* sex ad leges: Jac. Lapitt. & alii *in iudicib. jur. var. in Marcello pag. m. 481.* libros duos publicorum. *l. 22. D. de his qui not. infam.* de officio præsidis libros aliquot. *l. 43. D. de mi- nor.* quæstionum viginti novem: de jure militari duos: quinque de officio consulis scripsit *l. 1. §. ult. D. ne de stat. def.* Forster. *d. loc.* ad aliquorum etiam Ictorum scripta, notas adiecit: ad libros scil. Digestorum Juliani. *l. 34. ad l. Falcid.* ad Pomponii librum singularem Regula- rum. *l. 63. D. de acquir. hered.* Lapitt: *dict. loc.*

10. Videtur tamen pro Marciano & quod ille le- gis huius author sit, non parum facere, quod Floren- tina lectio non tantum authorem, sed & librum autho- ris, ad formulam hypothecariam, exprimat: Et quam- vis hæc verba (*ad formulam hypothecariam*) in lectione Haloandrina non reperiantur, certum tamen est, & Marcianum huiusmodi tractatum scripsisse, ex quo et- iam quindecim leges in materia pignorum cernere li- cet, & in eodem multa de possessione creditoris in pi-



6
gnore tractasse, id quod ex *l. si is qui. ii. §. i. l. grege. 13. §. 3. l. si fundus. 16. §. ult. de pignor. & hypoth.* aliisque constat, cum Marcellus in dicta pignorum materia, vix duas habeat, nihil tamen ad rem & materiam legis nostræ facientes. Probabile itaque erit hanc quoque legem, de hac ipsa materia tractantem non Marcelli sed Marciani esse.

11. Quæ argumenta licet vero similia sint, necessaria tamen non sunt, cum & Marcellus de quæstione admodum affini, nimirum de transferenda possessione per locationem conductionem scripserit, & quidem sub hoc ipso titulo *de acquir. vel amitt. possess. l. qui bona fide. 19. pr.*

12. Quicquid sit, licet disputetur de Authore, convenit tamen de re & ipsa lege, nec ad validitatem & effectum legis quicquam refert, quicumque etiam JurisConsultorum eam scripserit, sed sufficit Digestis insertam, & exinde auctoritatem ab Imperatore nactam, ita enim constituit Justinianus *in l. Deo authore. 1. §. 1. Cod. de vet. jur. enucl.* ut omnes authores juris æqua dignitate polleant, & nemini præ altero prærogativa fervetur.

13. Sive itaque Ælius Marcianus, sive Marcellus JCtus huius legis author & Conditor (sic enim vocantur JCti. *l. dedit. 3. §. 17. 20. Cod. de vet. jur. enucl. l. tanta. 2. §. 10. circa fin. §. 17. dict. tit.* item Legislatores & Commentatores, *d. l. 2. §. 20. dict. tit.*) quoad verba & sententiam fuerit, quatenus tamen legis vim nacta est, eo respectu solum Imperatorem Justinianum agnoscimus, qui speciali constitutione prudentum responsis, quæ pande ctis inseri iussit, vim legis tribuit, & omnia sua esse voluit. *d. l. 1. §. 5. 6. 7. Cod. de vet. jur. enucleand.*

14. Nec

14. Nec obstat, quod Responsa illorum JCTorum quibus ab Imperatoribus de jure respondendi potestas facta est, etiam ante Justiniani tempora tantam vim habuisse dicantur, ut judici ab iisdem recedere non licuerit. §. *responsa prudentum*. 8. *Instit. de jur. nat. Gent. & civil.* l. 2 §. *post hunc*. 43. *vers.* & *ut obiter* D. *de Orig. jur.* Eiusmodi enim responsum talem auctoritatem, respectu istius tantum controversiæ specialis, de qua JCTus respondebat, obtinuit, ut hodiè in rebus judicatis videre est, cum qua causa simul evanuit, ita ut in aliis similibus casibus eodem modo judicare necesse non fuerit: At postquam JureConsultorum Responsa jussu Justiniani Pandectis inserta sunt, ex eiusdem auctoritate, Effectum legis generalis acceperunt, ut ea in omnibus similibus causis & controversiis judicando observare necesse sit. *arg.* §. *sed & quod* 6. *in fin.* *Inst. de jur. nat. gent. & civil.* & §. *penult. constit. de novo Cod. faciend. juncta.* l. *Deo authore.* 1. §. *sed neq.* 6. *Cod. de vet. jur. enucleand.*

15. Sequuntur in inscriptione verba (*libro singulari ad formulam hypothecariam*) quæ licet desint in editione Haloandrina, certum tamen est, ut supra quoque indigitatum, sub hac rubrica Marcianum scripsisse, quod ipsum etiam Haloandrina editio passim in materia pignorum agnoscit: leguntur hæc verba etiam inversè, *ad hypothecariam formulam* in inscriptione l. *solutum* 49. D. *de solut*: sub eadem rubrica scripsisse etiam librum singularem Iurisconsultum Gaium constat ex inscriptione. L. *Sialius*. 2. ff. *quæ res pign. vel hypothec.* l. *potior.* II. ff. *qui pot. in pign.* & c. quæ tamen rubrica in editione, quam sequitur Gothofredus, inscribitur *de formula hypothecaria*: in Haloandrina verò, *ad formulam hypothecariam.*

16. In-

8

16. Intelligimus autem formulam actionis hypothecariæ, arg. l. si servus. 42. pr. de furt. cum sit notissimum eo tempore quo actiones ordinariæ in usu erant, certas fuisse agendi formulas, quæ à Prætore impetrandæ erant & à partibus, sub pœna amissionis causæ, accuratissimè obseruandæ. C. l. A. de oblig. & Act. th. 25. pr. & n. 3. quæ postea, cum extra ordinem agi cœptum est abrogatæ sunt. tot. tit. Cod. de formul. & Impetr. action. sublat. Gædd. ad L. 5. ff. de verb. signif. n. 24.

17. Præterea animadvertendum verba superius scripta, *Libro singulari ad formulam hypothecariam*, eiusmodi Lineis inclusa esse, quibus alias ea solent includi, quæ in aliis exemplaribus desunt: prout hæc ipsa, & alia, eiusmodi lineis inclusa in editione Haloandrina non reperiuntur: Verum cum glossa eiusmodi lineas non adiecerit, in aliis quoque legum inscriptionibus omissæ sint, exemplo. l. 12. qui pot. in pign. l. 7. de distract. pign. & leges Digestorum auctoritatem suam non ab auctore, vel inscriptione, sed ex Auctoritate Iustiniani capiant, ut supra ex l. 1. §. 5. Cod. de Ver. iur. enucl. probatum est, ideoque in huius inclusionis rationem ulterius inquirere super sedemus.

18. *Lecturam & constructionem* huius legis quod attinet, si lectionem Florentinam retineamus, plurimis in locis offenduntur plurimi: primò enim desiderant constructionem vocis RES cum sequentibus, quod cum difficulter fieri possit, glossa vocem RE substituit, ut evidentior fiat sensus hoc modo: RE PIGNORIS NOMINE DATA, ET POSSESSIONE TRADITA, DEINDE A CREDITORE CONDUCTA, CONVENIT. &c: quam emendationem, cum textus facile admittat, & lectio Haloandrina expressè confirmet, eam improbare non possumus.

19. *Secundo*, dubium etiam movere potest verbum præteriti plusquam perfecti *DEDISSET*, cum præcedentia *DATA, TRADITA, CONDUCTA*, sint præteriti perfecti, ita ut rectior videri possit Haloandrina lectio, in qua pro verbo dedisset, *DEDIT* legitur, quod nos criticis discutendum relinquimus.

20. *Tertiò* parum videtur Constructioni convenire, quod in proposito legis casu *JurisConsultus* utatur verbis singularis numeri, & unius tantum creditoris, unius itidem debitoris mentionem faciat, in fine tamen numerum pluralem in verbis, *PER EOS*, quæ verba utraque lectio habet, subiungat: id hoc modo excusandum puto, *JurisConsultum* nimirum ad ostendendam rei evidentiam, rem exemplo rei immobilis oppignoratæ declarare voluisse, cum autem res immobiles sint in duplici differentia, *arg. pr. & §. 1. Instit. de servit. prædior. nimirum vel urbana, quarum conductores inquilini. l. ult. de migrand. l. 4. §. 5. in fin. de damn. infect. vel rustica, quarum conductores Coloni vocantur. l. Colonus. 61. cum similibus. D. locati.* Utrumque etiam in immediatè præcedentibus nominasset, ad utrumque habito respectu pronomine relatiuo in plurali numero usum fuisse.

21. Sequitur, ut videamus de verborum obscuriorum in lege comprehensorum *homonymia*, cum enim

Errorum genitrix fiet equivocatio semper
huius explicatio non nihil luminis textui nostro adiciet: occurrit autem primò vocabulum *RES*.) quod sumitur vel *in sensu vulgari*, ubi eius significatio latissima & plane indefinita, & comprehendit omnia ea de quibus loqui possumus. *C. l. A. de rer. divis. in addit. th. i.*

B. Consultissi



Consultiff. D. D. Tabor. *in Iurisprud. Element. part. 2. th. 1.*
Ampl. D. D. Rebhan. in Hodoget. iur. chart. 2. Clim. 2. Paralel.
1. th. 1. in exeges.

22. *Vel in sensu iuridico*, ut excludantur personæ & actiones. §. *fin. Instit. de Iur. Nat. Gent. & Ciuil. L. 1. D. de stat. hom. tot. tit. Inst. & Digest. de rer. diuis. & tum rursus bifariam accipitur vel pro subiecto de quo quæritur, & comprehendit tam res immobiles, tot. tit. D. & Cod. de Rei Vind. L. idem Pomponius. §. pr. l. in quo. 57. D. dict. tit. Corporales & incorporales l. rei. §. D. de Verb. signif. vel pro subiecti qualitate, ut cum iura & causæ continentur. l. rei appellatio. 23. & ibi Gædd. D. de Verb. signific. Factum quoq; rei nomine venit. pr. Instit. de oblig. qua ex del. nasc. L. naturalis. §. pr. D. de prescript. verb. C. 1. A. dict. tit. th. 4. adde. l. interdum 73. de verb. Obl. quamvis alibi res & factum opponatur. §. ult. Instit. de Verbor. Obligat. Ampl. D. Collega D. Rebhan. loco supra citato. non quidem sua significatione, sed applicatione ad speciem, in qua etiam vox REI interdum tantum pro re mobili accipitur. l. omnia 31. de leg. 2. L. Lucius Titius 93. §. quidam prædia 2. de leg. 3. interdum pro bonis. L. ex facto. 35. §. rerum autem 3. de hered. Instit. Item pro hereditate. l. posthumus. 12. pr. D. de injust. rupt. irrit. & ita pro diversitate subiectæ materiæ variè.*

23. Quo autem sensu in hac lege nostra sumatur REI vox, alius inquirendum, & si quidem legem intueamur, apparet statim ex ipsa lectione. *ibi in agro: in adibus:* Iuris Consultum principaliter de re immobili loqui. Sed quoniam & illud ex lege rectè venire dicimus, quod non ex verbis, sed ex sententia legis venit. l. nominis. 6. §. l. De verb. Signif. & ubi eadem est ratio, non dicitur lex extendi sed enucleari. Menoch. de recup. poss. remed. 14. n. 18.

19. 20. ideoque non incommode ad assertiones legis nostræ accommodabimus, non tantum res immobiles, sed etiā quascūq; mobiles sese movētes imò etiam incorporales, modo de iis hæc duo quæ in textu nostro requiruntur ibi. *res pignoris nomine data, & ibi, deinde à creditore cōducta*, coniunctim prædicari possint, quod primo pignori dari sub quo requisito etiam comprehenditur illud quod possideri possint, siue verè siue quasi: & *Secundo* conduciqueant. dico *Coniunctim* sunt enim quæ licet pignori dari possint, locari conducique tamen non possunt, ut *servitutes prædiales*, quarum licet quædam pignori dari possint, *L. si is qui. II. §. ult. cum L. seq. D. de pign.* Locari tamen non possunt. *l. locare. 44. D. locat.*

24. Unde in Usufructu (quem & formalem & causalem, ut vocant, pignori dari posse constat ex *l. si is qui. II. §. 2. ibi. siue dominus proprietatis convenerit, siue ille qui solum usumfructum habet. & ex l. & qua nondum 15. pr. D. de Pignor. & hyp.* & eundem quoq; locari posse patet. ex *l. arboribus. 12. §. 2. de usufruct. & §. 1. Instit. de usu & habit. fac. l. necessario. 8. §. ult. D. de peric. & commod. rei vend. non tantum cuilibet extraneo, sed & ipsi proprietario l. Pomponius. 29. D. quib. mod. usufruct. amitt.*) quin locum habeat textus noster, non dubitamus.

25. ait textus PIGNORIS NOMINE: pignus variè dicitur: aliquando accipitur pro eo quod *deponitur* ab iis qui simul certant apud sequestrum, Virgil.

— — *Ego hanc vitulam, ne forte recuses,
Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fætus,
depono, tu dic mecum quo PIGNORE certes.*

Sed in hunc sensum raro reperitur: Illo figurato crebrius utimur, cum aut *munus* nostrum, aut aliud aliquid simile, pignus esse amoris & benevolentiae dicimus, Virg.

— nostri monumentum & PIGNVS amoris.

Idem.

Ipsè pater dextram Anchises haud multa moratus:

Dat juveni atq; animum presentè PIGNORE firmat.

Filij quoque, quoniam videntur tanquam pignora inter virum & vxorem esse, tum vinculi, ne alioqui fortè diuortium fiat, tum charitatis, factum est, ut frequenter pignora pro ipsis filiis accipiantur: Ouid.

Dulcia sollicitæ gestabant PIGNORA matres.

Sueton. de Tiberio. Communis filii PIGNORA, Idem, tam marium quam foeminarum PIGNORA. Arrha quoq; vocatur pignus. in l. un. Cod. si. Rect. Provinc. l. 6. Cod. Theod. de nupt. Sic vetus interpres Bibliorum Sacrorum Arrabonem vertit pignus. ut Genes. 38. vers. 18. & 20. 2. Corinth. 1. vers. 22. Ephes. 1. vers. 14. Consultiss. D. D. Rebhan. in Hodoget, jur. chart. 2. Clim. 3. paralel. 3. n. 5. in exeg. unde etiam Valla scripsit pignorare esse aliquid dare arraboni, reprehensus à Nicolao Perot. in cornucop. Col. 706. n. 30. 40. 50. Sed latissima hæc acceptio vocis pignoris, qua omne id significat, quod alicui rei accedit eius confirmandæ gratia, iuris Consultis, non æquè ac aliis authoribus, & in v. s. vulgari frequens est.

26. Propior est, licet itidem aliquantum latior, illa pignoris acceptio, qua rem quamcunque creditori in securitatem crediti sive traditam sive obligatam duntaxat comprehendit. §. item Serviana 7. Instit. de act. quo sensu pignus & hypotheca sæpius confunduntur, & promiscue usurpantur. l. si decem 17. §. de pignore. 2. D. de pact. l. 1. pr. §. 1. l. res hypotheca. 5. §. 1. l. pignoris 17. l. cum tabernam. 34. pr. & §. creditor. 2. D. de pignor. & hypoth. l. non solum. 33. §. si rem tuam. 5. D. de usurpat. & usucap. C. 1. A. de pignor. & hypothec. th. 2. n. 3. Goedd. ad l. plebs. 238. §. pignus. 2. de verb.

Verb. Signif. Wissenbach, in exercit. ad Pandect. part. 1.
Disp. 39. th. 1.

27. Propriè tamen pignoris appellatione eam rem contineri dicimus, quæ simul etiam traditur creditori, sive mobilis sit sive immobilis: at eam quæ sine traditione nuda conventione tenetur, propriè hypothecæ appellatione contineri dicimus. §. item Serviana. 7. Instit. de act. l. si rem alienam 9. §. propriè 2. D. de pign. act. l. creditor 15. D. l. pactum 4. Cod. dict. tit. l. creditor. 12. §. à Titio 8. D. qui pot. in pign. propriissima est illa pignoris significatio quæ tantum res mobiles continet. d. §. 7. Instit. de act. l. plebs. 238. §. 2. D. de Verbor. signif.

28. Præterea pignus sumitur, vel pro pignoris conventionem. l. 1. §. fin. de pact. vel pro obligatione sive nexu pignori s. l. si pater familias. 33. D. famil. ercisc. l. aliena res. 20. pr. de pign. act. l. Epistola 52. §. pactum ut si. 2. D. de pact. l. ult. Cod. de reb. alien. non alienand. tot. tit. D. quib. mod. pign. vel hyp. solvit. vel pro jure in re pignori data, constituto, l. si debitor. 2. l. si necessarias. 8. §. 1. l. si rem alienã. 9. pr. l. tutor. 16. l. si convenerit. 18. D. de pign. act. tot. tit. in quib. caus. pign. tac. contrah. tot. tit. quæ res pign. dar. iuncta l. innoxalibus. 30. D. de nox. act. An autem in l. 1. pr. & §. 1. D. de pign. act. cum Bachov de pign. lib. 1. cap. 3. in hoc sensu pignus accipiatur vide Magnificum D. D. Tabor. in jurispr. Element. part. 3. sect. 4. n. 28. in exo. vel pro obiecto sive re oppignorata. §. fin. instit. quib. mod. re. contrah. obl. l. si necessarias. 8. §. de vendendo. 4. §. l. si pignus 37. D. de pign. act. §. item serviana. 7. Instit. de act. tot. tit. D. de distract. pign. C. I. A. de Pign. act. th. 3. Goedd. part. 2. disp. 10. th. 1. Treutl. 2. Disp. 1. th. 1. lit. a. Ampliff. D. D. Rebhan: in Hodoget. chart. 2. Clim. 3. parall. 2. th. 34. in exeg.

29. Agnoscimus autem pignoris verbum hoc:

B. 3,

loco

loco accipi, *pro jure* in re aliqua sive mobili, sive immobili, constituto, cuius rei possessio, à debitore creditori tradita.

30. Si quærat de qua nam pignoris specie hic textus noster loquatur, Respondebimus, de pignore *Conventionali speciali*, cuius possessio ex voluntate debitoris est penes creditorem constituta, inde sequitur, excludi pignus *generale, Testamentarium, legitimum, prætorium & iudiciale*, de quorum differentiis, præsertim in venditione, vide eleganter differentem Iohann. Deckherr. *dissert. iur. lib. I. dissert. 2. num. 13. C. I. A. de pignor. th. 6. per tot.* tum quia in his speciebus creditor aut omnino non, aut rarius possidet, tum posito quod possessionem veram creditor nactus esset, eam tamen invito creditore haberet, vnde vix contingere poterit, ut inter se locationem conductionem contrahant.

31. Ait textus *D A T A*: dare propriè importat domini translationem. §. *sic itaq.* 14. *Instit. de act.* & qui promittit dare, is dominium transferre tenetur. *l. ubi autem. 75. §. fin. D. de verb. obligat.* Utimur tamen ea voce maximè in cōtractibus realibus sive Dominium transferant, ut dotis datio. *l. contractus. 17. Cod. de fid. instrument.* Mutui datio. *pr. Inst. quib. mod. re contrahitur oblig. contractus innominati do ut des, do ut facias, facio ut des. l. naturalis §. 1. 2. 3. D. de præscript. verb.* huc referri possunt, insolutum datio. *l. successores. 10. Cod. de solut. l. creditor. 102. §. cum de sorte. 1. D. de solut. Compensatio. l. dedisse. 76. & ibi Gædd. de Verb. signif. l. si peculium 20. §. quod si. 2. de stat. lib. l. vel permutavit. 19. de liberal. caus. si ve possessionem tantum aut usum, custodiam & nudam detentionem transferant: quo in significato idem est quod tradere. *l. omniū 3. pr. D. de usufruct.* ut cū adiciatur
legato*

legato usufructus *l. omnium. 3. pr. D. de Usufruct. com-
modato. l. si ut certo. 5. §. rem tibi dedi. 12. commod. §. i-
tem is cui. 2. Instit. quibus mod. re contrah. obl. deposito. l. 1.
pr. depos. pignori. §. ult. Instit. quibus mod. re contrah. obl. u-
bi tamen observandum, dationis vocem si adiiciatur
verbo pignoris, sapius non tam possessionis translatio-
nem, sive traditionem, quam juris in re pignorata con-
stitutionem notare. arg. *l. cum tabernam 34. pr. D. de pig-
nor. l. creditor. 3. §. cū ex causa. 1. qui pot. in pign. l. si is qui 66.
D. de furt. & in hoc posteriori sensu etiam in nostra lege
accipi, verba ejusdem, vbi rem pignoris nomine dare, &
possessioem rei oppignoratae tradere, contra distinguū-
tur, evidentissime demonstrant.**

32. In alias & pene infinitas huius vocis signifi-
cationes, quæ passim tam in vulgari loquēdi usu, quam
in jure nostro occurrunt, ut cum dicimus iudicem dare
*l. iudex. 46. D. de iudic. tutorem dare l. mulier. 2. & passim.
D. de confirm. tut. iudicium & actionem dare l. 1. §. 1. depo. §.
item nomen dare, militem se dare. l. militum. 2. §. ult. de
re milit. militiæ se dare l. qui cū 4. §. 1. & seqq. D. dict. tit sen-
tentiam dare l. 1. de Veteran. in exilium dari l. relegati. 4.
D. de interd. et releg. vltius inquirere, ne iusto prolixio-
res videamur, nolumus. Consuli possunt de his & simi-
libus Lexicographi, Calvinus, Scharidius, & alii.*

33. ait textus POSSESSIONE :) quam varia sit huius
vocis acceptio pluribus tractant Doctores, in specie C.
I. A. de acquir. possess. th. 2. Ampl. D. D. Bicc. p. m. Promo-
tor honoratissimus ad l. 3. §. 5. de acq. possess. th. 15. & seqq.
Consultiff. D. D. Rebhan. in Hodoget. chart. 2. Clim. 4. pa-
rall. 4. th. 3. hoc loco quo sensu accipiatur penitus in-
spiciendum.

34. Certum autem est hic non intelligi illam bo-
noram

morum possessionem, de qua in tit. Instit. Digest & Codic. de bonorum possessionibus agitur quæ est quædam rerum Univerſitas, qua restant corporales, quàm incorporales commoda & incommoda comprehenduntur l. 1. & 3. ff. de bon. poss. & in iure prætorio æquè latè quam vox hereditatis in iure civili patet d. l. 3. §. 1. iuris est non facti. d. l. 3. §. 1. 2. & ibi Gothofred. & definitur ius persequendi retinendique patrimonii sive rei quæ cuiusque dum moritur fuit d. l. 3. §. 2.

35. Non intelligimus præterea impropriam illam acceptionem, ubi per metonymiam causæ pro effectu possessio pro usucapione sumitur l. deniq; 19. & ibi Gothof. l. ait prætor 23. §. 1. ex quibus caus. maior. l. si extraneus. 44. de donat. int. vir. & ux. Obrecht. ad tit. de acquir. possess. cap. 1. th. 5. C. l. A. de acquir. possess. th. 2. n. 6.

36. Multo minus hic intelligimus possessionem pro ipso dominio et proprietate rei, prout sumi videtur in l. cum res tibi. 4. Cod. de contrah. empt. l. interdum 72. D. de Verb. signif. fac. l. si de vi. 37. D. de iudic. l. qui cætu 5. §. 1. D. ad l. Iul. de vi publ. cum certum sit, & indubitati iuris, debitorem rei pignori datæ dominum manere. l. & sortis. 35. §. 1. D. de pign. act. l. pignus. 9. Cod. eod.

37. Non intelligimus etiam possessionem ita generaliter acceptam, ut possidere idem sit quod *detinere*, aut alieno nomine in possessione esse, ut Colonus, inquilinus Usufructuarius & similes esse dicuntur. l. officium 9. de rei Vind. l. 1. §. item acquirimus 5. de acquir. possess. l. quod servus 24. l. possessionem 29. dict. tit. l. prætor ait. 25. §. 1. l. 3. pr. §. ult. & passim quibus ex caus. in possess. eat. quo sensu possidere idè ferè significat, quod facultatè restituendi habere l. 1. §. 7. 8. ff. quod. legat. d. l. 9. ff. de Rei Vind. & qui hoc modo possidere dicuntur, de iisdem alibi prædicatur

tur

tur quod non possideant. *l. possideri. 3. sed §. si is. 20. l. quod meo nomine. 18. pr. l. possessio. 49. §. 1. ff. de acquir. possess. d. l. 9. in fin. de Rei Vind. & sic quoque alibi possidere & detinere sibi invicem opponuntur. l. & uno 18. §. 1. ff. de accepti. lat. §. 2. Instit. quib. mod. toll. obl. d. l. 49. §. 1. ff. de acquir. possess. hoc quoque respectu huc non pertinet illa possessio, de qua agitur. *in tit. quib. ex caus. in possess. eat. & tit. de reb. auth. jud. possid. & tit. de ventr. in possess. mittend.* quia hi magis in possessione sunt, quam possident. *l. possideri. 3. §. ult. de acquir. possess. l. cum legatorum. 12. quib. ex caus. in possess. eat. l. officium. 9. ff. de Rei Vind. l. is cui. 5. pr. ut in possess. legat. l. 1. §. quasitum est. 9. ff. quod legat. C. I. A. tit. ex quib. caus. in possess. eat. th. 2. in fin. & de reb. auth. jud. possidend. th. 9. de acquir. possess. th. 7. n. 4.**

38. Nec quoad verba nostræ legis intellectam volumus illam possessionem quæ de juribus prædicatur *§. 2. Inst. de act. l. ult. ff. uti possidet. l. ult. in fin. ff. si pars hered. petat.* quæ alias veluti possideri. *l. quod si in diem. 16. §. fin. de hered. pet. quasi possideri. l. ait prætor. 23. §. item ei. 2. ex quib. caus. maior. quasi facto quodam possideri. l. servitutes. 20. pr. ff. de servit. præd. vrb. intelligi possideri. l. si ades. 32. in fin. dict. tit. dicuntur.* de quibus alibi expresse negatur possessionis veræ prædicatum. *l. sequitur. 4. §. se viam. 27. ff. de Usucap. l. possideri. 3. pr. de acquir. possess.* An autem & quatenus sententia legis nostræ iisdem applicari possit, ex supra th. 23. 24. traditis constare potest.

39. Non etiam excludimus omnino illam significationem, ubi possessio bonæ fidei etiã de illis rebus quæ in commercio non sunt & quæ à sciente possideri non possunt. *l. qui universas. 30. §. 1. 4. de acquir. possess. prædicatur §. de jis autē. 4. Instit. per quas pers. cuiq. acquir. §. item liberos. 1. Inst. per quas pers. nob. obl. acquir. §. 1. Inst. de Usucap. l.*

C

cap. l.

cap. l. 2. Cod. de jur. postlim. l. qui testamento. 20. §. 1. ff. qui testam. fac. poss. l. de his singulis. 26. §. sed & oportet. 4. Cod. de Episcop. audient. quamvis enim verbis legis non contineatur, ad sententiam tamen applicari posse nullatenus dubitamus, arg. eorum quae suprah. 23. tradita fuerunt.

40. Sæpius etiam sumitur possessio pro re ipsa immobili possessa, l. cum miles. 11. de alien. judic. mutand. caus. l. magis puto. 5. §. idem prator. 10. de reb. eor. qui sub tutel. vel cur. l. quasitum est. 12. pr. ff. de instruct. vel instru. legat. l. si Medicus. 3. ff. de Var. & extraord. cognit. l. si ex ea pecunia. 6. l. quoties duos. 15. Cod. de Rei Vind. l. possessiones. 2. Cod. de probat. l. si propter. 8. Cod. de compensat. l. si curator. 3. Cod. arbitr. tutel. l. minorum. 6. Cod. de prad. & al. reb. minor. five in Dominio nostro ea res sit five non sit. l. questio est. 115. ubi Gædd. de Verb. signif.

41. Nec simpliciter hanc acceptionem hoc loco excludere possumus, cum sensus legis nostræ facile eam admittat, & alias vox possessionis supervacue videri posset verbo tradita adiecta, cum per ipsam traditionem possessio pignoris transferatur. §. item serviana. 7. Instit. de act. junct. l. si rem. 9. §. 2. ff. de pign. act. Bachov. in animadvers. ad Treutl. vol. 2. Disp. 21. th. 4. lit. F. vers. sic creditorem possidere. vid. l. si rem tradi. 28. & ibi notat. ff. de Verbor. Obligation.

42. Verum quia hac acceptione admittenda propter præcedentem vocem *Rei* verbum possessionis multo magis superfluum videri potest, ideoque cum non infrequens in iure sit phrasis possessionem tradere ut apparet ex l. si non. 8. ff. pro legat. l. damni. 18. §. 8. ff. de damn. infect. l. colonus. 12. ff. de Vi & vi armat. l. creditor. 3. §. 1. ff. qui pot.

qui pot. in pign. hab. adde C. l. A. de acquir. possess. th. 17. n. 3.
post verba possessionem tradit.

43. Rectius hoc loco per verbum possessionis intelligimus *veram & propriè sic dictam possessionem*, quæ definitur, detentio cum affectione insistenti suo nomine & sibi, vel cum animo sibi habendi. l. 1. §. per procuratorem. 20. l. quod meo nomine. 20. de acquir. possess. quam definitionem late explicat & multis aliis textibus confirmat. Coll. Iurid. Arg. de acq. possess. th. 4. n. 2. & seqq.

44. ait textus TRADITA:) Traditio est modus rem in alium transferendi: arg. l. si rem tradi. 28. ff. de Verbor. Oblig. estque propriè rerum corporalium. l. servus. 43. §. 1. de acq. rer. dom. §. per traditionem. 41. Inst. de rer. divis. l. un. §. 2. Cod. de suffrag. de qua verba legis nostræ exaudienda sunt; Impropiè de rebus incorporalibus quoque prædicatur. l. ult. D. de servit. l. 1. §. ult. ff. de servit. præd. rust.

45. Eius pro diversitate causarum multiplex effectus est & varius l. si stipulatus. 4. ff. de usur. aliquando enim dominium transfert. l. traditionibus. 20. Cod. de pact. l. si pater. 2. Cod. de Crim. stellion. l. qui fundum. 7. §. ult. ff. pro Empt. ut in contractibus Domini translativis: (qui ita dicuntur non ideo quod ad substantiam Domini transferendi pertineant, sed quia pertinent ad probationem voluntatis transferendi Domini: Ampliss. Ictus Tabor. in jurisprud. Element. part. 3. sect. 4. num. 25. in exeg.) l. nunquam. 31. ff. de acquir. rer. dom. verbi causa in emptione venditione d. l. 31. pr. de acq. rer. dom. §. cum autem. 3. circa fin. Inst. de Empt. Vend. in dote. §. per traditionem. 41. Inst. de rer. divis. item in donatione. l. 2. Cod. de Crim. stellionat. §. alia autem. 2. Instit. de donat. in contractibus innominatis do ut des, do ut facias, facio ut des. l. 1. §. itē.

2. § igitur. 4. ff. de rer. permut. cum simil. quamvis his casibus magis propriè datio quam traditio dicatur, pr. §. 1. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. l. contractus 23. ff. de Reg. jur. l. ult. de condict. caus. dat. caus. non secut. l. 1. §. 3. de rer. permut. l. naturalis. 5. ff. de prescript. verb.

46. Aliquando possessionem tantum, ut in pignore. l. si pignus. 37. pr. de pignor. act. & hac lege nostra. Item in precario, si rogatum sit ut possidere liceat. l. & habet. 15. §. eum qui precario. 4. ff. de precar. (id quod generaliter in omnibus quibus possessio à possessore quocumque modo concessa verum est, quacunque enim voluntate mea possum amittere possessionem quam habeo, & alium possessorem facere. l. si quis. 17. §. 1. l. quod meo. 18. pr. l. si aliquam rem. 28. ff. de acquir. possess. C. l. A. dict. tit. th. 16. n. 4.)

47. Aliquando usum & fructum, ut in Usufructu. pr. Inst. de Usufruct. junct. l. acquiruntur. 10. §. ult. ff. de acq. rer. dom. l. si ego. 11. §. 1. ff. de public. in rem act. in locatione conductione. §. is verò. 37. in fin. Inst. de rer. divis. junct. & hac lege nostra & l. 37. D. de pignor. act. aliquando solum usum ut in commodato. §. item. is. 2. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. aliquando solam custodiam, ut in deposito. §. prater ea. 3. Inst. dict. tit. prorsus variè pro varietate subiectæ materiæ, æstimatur enim ex sua causa, & secundum eam regulatur. adde ea quæ habet Ampliff. D. D. Rebhan. in Hodoget. jur. chart. 1. Glim. 2. parallel. 1. th. 53. in exeges.

48. Ait textus. CREDITORE.) creditor in iure dicitur non tantum ex mutuo, quem propriè creditorem dici tam Græcis quam Latinis, tradit Wissembach. in exercit. ad pandect. part. 1. Diss. 24. th. 2. per l. mutuum. 2. §. mutui. 1. ff. de reb. cred. vel ex alio aliquo contractu reali, ut com-

ut commodato, pignore, *l. 1. ff. de reb. cred.* sed etiam ex alio quocunque contractu vel quasi contractu: delicto vel quasi delicto. *l. creditores. 10. & seqq. ibiq. Gædd. de Verb. signif. Wissenbach. citato loco. th. 3. ubi ad contraria respondet.* & obligatione sive civili sive prætoria, sive pura, sive in diem, sive conditionali, præsentis aut futura *d. l. 10. ff. de Verb. signif.* sive per actionem exigere possit debitum. *l. debitorem. 108. de Verbor. signif.* Sive per exceptionem tantum retinere. *l. res hypothecæ. 5. l. quesitum est. 14. §. 1. ff. de pignor. & hypothec.* quamvis abusive hi creditores dicantur. *l. fidejussor. 16. §. naturales. 4. ff. de fideiuss. l. si is cui. 94. §. Favius. 3. ff. de solut.* & in edicto de missione creditorum in possessionem in quibus natura tantum debetur non sint loco creditorum. *l. creditores. 10. & ibi Gædd. de Verb. signif.* sed illi saltem qui nulla exceptione repelli possunt. *l. Fulcinius. 7. §. si in diem. 14. ff. quib. ex caus. in possess. eat. d. l. 108. de Verb. Signif. Ampl. ICTus D. D. Rebhan. in Hodoget. chart. 2. Clim. 3. parall. 2. th. 24. in exeg. in nostrâ Lege Creditor quis dicatur, ex l. Res hypothecæ. 5. D. de pign. & hyp. constare potest.*

49 Ait textus *CONDUCTA*.) quis propriè sit conductor, non satis expeditum est inter Doctores: C. I. A. *de locat. conduct. th. 4.* conducere esse ait sub certa mercede utendum vel faciendum aliquid suscipere. Et Conductorem esse eum qui certa mercede aliquid utendum vel faciendum suscipit, allegans Cuiac. 2. *obs. 28. Wesemb. in parat. D. de locat. conduct. n. 2. Bocer. Class. 2. Disp. 4. th. 3. per plures ibidem nominatos textus*: accuratius tamen ea de re loquitur Ampl. ICTus Georgius David. Locamer. p. m. Præceptor honoratissimus *in notis ad princip. Inst. de locat. Conduct.* quem sequitur D. D. Biccus. *in aureis sect. 4. th. 94.* Distinguendo nimirum utrū

C 3

agatur

agatur de utendo, an de faciendo, *si de utendo*, tum is locator est qui utendum dat, & pecuniam accipit: Conductor qui rem utendam accipit & pecuniam dat, si agatur de faciendo subdistinguit hoc modo, *aut is qui dat faciendum primo se offert* & quærit quisnam opus faciendum suspiciat, tum locator erit ille qui dat faciendum, conductor qui faciendum suscipit: quo casu locator mercedem dat, conductor accipit. *l. & ita de facto. 3. §. 1. ff. naut. caup. stabul.* *aut is qui accipit faciendum primum se offert*, & quærit aliquem qui sua opera utatur, tum locator est is qui faciendum suscipit, conductor qui faciendum dat quo casu locator mercedem accipit conductor dat. *l. plenum. 12. §. ult. cum legib. seqq. ff. de usu & habit.*

50. Aliam distinctionem modo laudatus D. D. Locamer. loco citato subiicit, Distinguit enim utrum *opus aliquod certum prescribatur* quod faciendum sit, an verò *absq. certa operis determinatione opera* alterius in faciendo assumatur, *priori casu* denominatio fit ratione illius operis faciendi, & locator est qui faciendum dat, conductor qui accipit: *posteriori casu* denominatio fit ab ipsa opera, & locator est is qui operam præstat, qui recipit conductor *dict. legib. l. item si. 22. §. cum insulam. 2. l. qui insulam. 30. §. 1. 2. 3. l. qui operas. 38. ff. locat.* addantur ea quæ tradit. Consult. D. D. Tabor. in *Jurisprud. Elemēt. part. 3. sect. 4. n. 46. in int. & Ampl. D. D. Rebhan. in Hodeget. chart. 2. Clim. 3. paralel. 3. th. 10. in exegef.*

51. Alii, ut Thomas Linius. *ad. tit. Instit. de locat.* Bachov. *ad Treutl. 1. Disp. 29. th. 1. lit. H. & in not. ad Wesemb. tit. locat. n. 2.* in locatione rerum & si agatur de utendo, cum superioribus consentiunt, sed in locatione factorum eundem diverso respectu & locatorem & conductorem esse tradunt. *per l. idem est. 20. ff. de act. empt. l. item si.*

reus. 22. §. *cum in sulam. 2. locat.* Cuius tamen legis aliam (licet pro mira & falsa à quibusdam habeatur) attulit resolutionem. Consultiss. Dn. Doctor Bithschius *in app. de thesaur. th. 27.* quem sequitur D. D. Bicc. *in aureis. sect. 4. n. 93. lit. X.* adde Scotanum. *Colleg. jurid. Disp. 38. th. 2.*

52. Nobis sanè qui de locatione, & conductione rei non operarum loquimur, omnibus Consentientibus, conductor erit *qui fundum utendum accipit, & pro usu mercedem dat.*

53. Ordine nunc quoque dispiciendum venit quid sibi velit in lege nostra illa phrasís, A CREDITORE CONDUCTA, quæ non parum obscuritatis textui nostro injicit, An nimirum hoc nostro casu creditor fuerit locator, debitor conductor: an vero debitor locator, creditor conductor: nam utrumque sensum verba phraseos inferre possunt. In communi enim loquendi usu, recte dicitur à creditore conducta sc: locante debitore, & à creditore conducta, locante scilicet creditore, nec putamus juri contrarium esse, si dicamus & creditorem posse fundum hypothecæ nomine traditum locare debitori conducenti. *l. si pignus. 37. ff. de pign. act.* Et e contra ipsum creditorem posse etiam à debitore conducere, prout quilibet possessor etiam Dominus rem à se possessam ab alio conducere, eo ipso alieno nomine possidere, & ita locatorem possessorem facere potest. *l. si quis. 17. §. 1. cum l. seq. ff. de acquir. possess. C. I. A. dict. tit. th. 16. n. 4. & th. 25. n. 3. & 4.*

54. Verùm si textum nostrum penitus inspiciamus, facile apparet sensum eius hunc esse *debitorem conduxisse prædium hypothecæ nomine datum à creditore locante*, id quod ex eo colligitur (1.) quia dicitur illum qui hypothecam dedit, id est debitorem, pro colono in agro,

agro, in ædibus pro inquilino esse: Colonum autem & inquilinum conductores esse apparet ex *l. Coloni. 8. Cod. de excus. tut. l. ult. ff. de migrand. l. dies. 4. §. prator ait. 5. ff. de dam. infect. (2.)* quia dicitur creditorem etiam post locationem conductionem factam possidere, nam si creditor conduxisset a debitore, eo ipso amisisset possessionem. *d. l. 17. §. 1. cum l. seq. ff. de acq. poss. ff. (3.)* quia dicitur per eos, scilicet colonum & inquilinum, hoc casu debitores, creditorem possidere, & ita dominum & debitorem alieno nomine in possessione tantum esse, & ipsius creditoris nomine possidere. *l. si pignus. 37. ff. de pignorat. act.* unde certò colligitur creditorem fuisse locatorem, debitorem conductorem.

55. Non tamen necessarium est cum Fridero de possess. cap. 10. n. 21. quem in hunc sensum allegat. C. L. A. de acquir. possess. th. 9. n. 13. in addit. huius nostræ legis textum corrigere & pro creditore legere debitore, cum etiam alibi similis loquendi formula eodem sensu reperitur. exemplo sit. *§. si rem suam. 12. Instit. de legat. ibi. Et ideo legatarium cum herede ejus agere possent prædia à creditore luantur.* Sanè Luitio pignoris, non creditori sed debitori incumbit. *l. 1. Et tot. tit. Cod. de luit. pign. l. qui post testamentum. 3. Cod. de Legat. itaque sensus istius paragraphi est, legatarium posse per actionem institutam cogere heredem debitoris, ut luat pignus à nexu creditoris. d. l. 3. Dd. communiter ad dict. §. 12. Inst. de legat. Schneidvin. ibid. in fin.*

56. Ait textus CONVENIT.) utrum hæc vocula legenda sit media producta an correpta, non est levis dubitatio, priori casu, si legamus in præterito perfectò *convenit*, sensus erit, creditorem rei pignoris nomine sibi traditæ possessionem retinere, licet eam debitori ipsi locaverit,

caverit, dummodo v. c. per pactum adiectum convene-
rit ut debitor tantum in agro pro colono in ædibus pro
inquilino sit. sed quoniam ex natura locationis condu-
ctionis venit, ut is qui conduxit, in agro pro colono, in
ædibus pro inquilino sit, videat. *th. 20. & 54. n. 1.* ideoque
superflue & penè ineptè dixisset Ictus retinere credito-
rem possessionem per eum qui conduxit, si specialiter
convenerit, ut conductor, seu quod idem, colonus & in-
quilinus sit.

57. Rectius itaque intelligimus impersonale
verbum *convēnit*, media correpta, hoc sensu: convenit
analogiæ juris, (*ita enim & alibi sumitur. l. cum bonis. 87.*
ff. de acquir. hered. l. reos 11. de duob. reis. l. si rem. 31. §. 1. ff. de
novat.) ut creditor non tantum pignus re tradita possi-
deat, sed istam quoque possessionem per locationem
debitori factam retineat, etiam per ipsum Debitorem
Dominum conducentem, qui ex illa conductione rei
propriæ, nihil amplius consequitur, quam quicumque
alius colonus vel inquilinus. *l. si pignus. 37. ff. de pign. act.*
id quod etiam Haloandrina lectio necessario evincit.

58. Ait textus, *QUI HYPOTHECAM DEDISSET:*) id est
debitor; hypothecæ autem vocem haud minus quam
pignoris ambigam esse constat, sumitur enim vel pro
re hypothecæ nomine data, *l. fidejussor. 2. l. grege. 13. §. 4. &*
seqq. l. si fundus. 16. §. creditor. 5. §. si duo. 8. l. fidejussor. 26. §.
fin. de pignor. tot. tit. ff. de distract. pign. vel hypothec. vel
pro hypothecæ contractu (seu potius pacto, prætorio
jure confirmato, quo hypotheca constituitur. *l. contra-*
hitur. 4. de pignor. l. si decem. 17. §. de pignore. 2. de pact.) dicit.
l. 4. de pignor. vel pro iure hypothecæ, quod creditori ac-
quiritur ex conventionione. *l. si is qui. 11. §. ult. d. l. 13. §. 1. l. &*
quæ 15. pr. l. si fundus. 16. pr. de pignor. C. l. A. de pignor. th. 2.

D

Goedd.

ad. l. 238. §. 2. ff. de Verbor. signif. in hac nostra lege sumitur pro re hypothecæ nomine data, sive ut l. Ctus sub initio legis loquitur pro re pignoris nomine data, hætenus enim hypothecæ & pignoris voce promiscue utitur.

59. Ait textus IN AGRO:) agrum hic intelligimus locum qui colitur in rure sine ædificio vel villa. *l. ager. 27. ibiq. Gædd. n. 7. l. fundi. 211. ff. de Verb. signif.* accedente enim villa ager esse definit, & vel fundus dicitur vel prædium. *l. fundi. 211. l. questio est. 115. ff. de Verb. signific. id quod pluribus explicat Gædd. ad. d. l. 27. n. 8. de Verb. signif.*

60. Ait textus ÆDIBVS:) ædes sunt ædificia urbana. *d. l. fundi. 211. de Verb. signif.* quamvis & ædes rusticas abusive dicāus. *l. cetera. 41. §. sed si quis. 5. de leg. 1. alias urbanum illud maxime dicimus quod habitationis non reditus causa comparatum est, quocunque etiam loco sit. l. urbana. 198. ff. de verb. signif. §. prædiorum 1. Instit. de servit. prædior. addatur Ampl. D. Collega Rebhan. in Hodoget. chart. 2. Clim. 2. paralell. 2. th. 12. in exegef.*

61. Ait textus, PRO COLONO, PRO INQUILINO) colonum esse conductorem rei rusticæ, inquilinum rei urbanæ, dictum est supra *th. 20. per text. ibidem. alleg.* adde Schard. *in utroq. vocabulo,* & vix credimus quod in vllō juris loco coloni & inquilini differentia pressius quam in huius nostræ legis textu exprimatur.

62. Ait textus VIDETVR:) verbū VIDETVR ambiguum quoque est, nec uno eodemque sensu ubique accipitur, interdum enim cum similibus, qualia sunt CREDITVR *l. velle. 4. l. semper. 60. l. pupillus. 189. de Reg. jur. CREDENDVM EST. l. cum tempus. 17. eod. INTELLIGITVR. l. cum amplius. 84. l. in eo. 110. §. pupillus. 2. l. qui per successionem. 194. l. quod quis. 203. de Reg. iur. l. qui pignoris. 36. D. de acquir.*

*quir. vel amitt. possess. ACCIPITVR. l. in omnibus. 39. de reg. iur. HABETVR. l. in jure civili. 161. l. omnia. 193. eod. HABET. l. prator. 117. eod. HABENTVR. l. quod attinet. 32. l. in pari causa. 128. §. 1. eod. HABENDVS EST. l. ad ea qua. 157. §. 1. eod. EST. l. qui dolo. 131. l. parem. 150. eod. COMPARATVR. l. hoc jure utimur. 152. §. in maleficio. 2. ff. de Reg. Iur. improprietaem quandam aut fictionem praesumptionemve notat. prout apparet ex l. naturaliter. 12. D. de acquir. vel amitt. possess. junct. l. certè si. 6. §. is qui rogavit. 2. ff. de precar. l. acquiruntur. 10. §. ult. ff. de acquir. rer. Domin. Coll. Jur. Arg. de acquir. possess. th. 7. n. 6. de Usufruct. th. 27. num. 1. de interdict. th. 29. num. 5. item ex L. si quis fundum. 37. D. de contrah. empt. L. 1. §. deiecisse. 12. ff. de vi & vi armat. l. non videtur. 13. l. is qui. 15. l. quicquid. 48. l. non videtur. 51. l. qui sine. 63. l. non videtur rem. 83. l. si quis. 115. pr. §. 1. l. qui non facit 121. non potest. 208. D. de Reg. Iur. & quæ plura alia loca notavit. Gothofred. ad tit. de Reg. jur. in indice verb. videtur. & Verb. fictiones & praesumptio. Jur. id quod pluribus pertractavit Consultill. Dn. D. Biccus. p. m. de possess. th. 48. 49. 120. & quest. 12. Nonnunquam tamen etiam veritatem, ut colligere licet. ex L. Titio. 71. §. à Titio genero. 3. D. de Condit. & Demonstr. l. non defendere. 52. l. filius familias. 93. (iuncta l. quicquid. 4. D. de acquir. possess.) l. nihil consensui. 116. §. non videntur. 2. L. factum. 155. §. non videtur. 1. l. non videntur. 167. de Reg. iur. junct. l. ubi autem. 75. §. ult. D. de Verb. obl. & l. traditio. 20. D. de acquir. rer. dom. quam huius verbi notationem etiam huius loci esse asserimus & infra latè deducemus: Sæpius enim **V I D E T V R** modestiæ non semper dubitantis aut improprietaem notantis verbum est, hoc enim frequens & quasi proprium Iureconsultorum est (: verba sunt Gœddei ad l. ut si cui. 12. n. 8. in fin. de Verb. signif:) ut quando maximè*

verum proferre velint, utantur tamen periphrasi vel verbo **VIDETVR**, tum ne arrogantes videantur, tum ne quid audacter asseruisse censeantur. fac. præter allegata superius *d. l. 12.* & ibi *Gædd. de Verb. signif. l. quo tutela rediit. 73. §. vi factum. 2. l. donari. 82. l. in eo. 110. §. nemo. 1. de Reg. Jur. l. existimo 98. pr.* & ibi *Duar. D. de Verb. Oblig. ad de Coll. Iurid. Argent. th. 3. fin. reg. Wissenbach. in exercit. ad Pandect. vol. 1. Disp. 39. th. 2.* Quemadmodum sæpius etiam **ICTOS** per verbum **VEREOR** respondisse videmus. *l. si ego. 9. §. si res. 1. l. si mulier. 59. §. exasse. 1. ff. de iur. dot. l. filium. 20. §. videamus. 1. circa med. ff. de bon. poss. contra tabb. l. bonæ fidei emptor. 48. §. in cōtrarium. 1. ff. de acquir. rer. domin. l. 1. §. unde Favius. 12. ff. de Cloac. l. in eo iure. 45. §. ult. ubi Gothofred. l. non solum. 67. §. sed videamus. 3. ff. de rit. nupt.*

63. Erit itaque legis nostræ sensus **RES** sive mobilis sive immobilis **PIGNORIS** vel hypothecæ **NOMINE DATA** sive obligata, **ET POSSESSIONE VERA**, quam creditor accipit cum animo insistendi suo nomine & sibi, **TRADITA** quocunque traditionis modo, **DEINDE A CREDITORE** locante **CONDUCTA** per debitorem conducentem, **CONVENIT**, sive analogiæ juris conveniens est, **VT IS QUI HYPOTHECAM** vel pignus, **DEDISSET** sc: debitor, non obstante quod Dominus sit rei pignori datæ **PRO COLONO IN AGRO**, sive prædio rustico **ADIBVS**, prædio sc: urbano, **PRO INQUILINO SIT**, & ita non possideat verè & propriè sed alieno nomine tantum in simplici detentione & possessione sit, **PER EOS**, inquilinum sc: & colonum, **CREDITOR POSSIDERE VIDETVR**, & revera possidet.

Strassburg, Diss., 1659-60

ULB Halle

3


005 607 590




TA → OL

VD 77







213.

ANALYSEOS
L. Res pignoris. 37. D. de acquirend.
Vel amittend. possess.
qua agit
De

Disp. xx.

16594.

POSSESSIONE
CREDITORIS
IN PIGNORE

DISPUTATIO PRIMA.
A VSPICE DEO OPT. MAX.
IN CELEBERRIMA ARGEN-
TORATENSIVM VNIVERSITATE
solennis exercitii gratia proposita

FRIDERICO DECKHERRO J.U.D.
Pandect. Professore Ordinario, & h. t.

Facultatis Juridicæ Decano.
RESPONDENTE
VALENTINO Barthio. Colmariensi,
Die mens. Februarii, hora & loco consuetis.



ARGENTORATI.
Typis FRIDERICI SPOOR.

ANNO M.DC.LIX.